

candidæ Margaritæ, rubea Corallia, canoræ Buccinæ, & Purpuræ Regales: cognouit hanc veritatem Galenus lib. 6. de Simpl. facult. c. 1. dicens: *Ceterum quoniam Medicamēta omnia partim sunt Animalium partes, aut Plantarum, partim verò ex Metallis desumuntur, melius mihi visum est de Plantis ante omnia disserere, tum quòd numerosissimum est earum genus; tum quòd Virium robore præcellentissimum: inde de Metallicis tractare: atque hinc ad Animalium partes transire.* Hunc ordinem à tanto viro propositum in his enarrandis, etiam ego seruare decreui; & ideo primò de Plantis, necnon etià de illis succis, qui circa ramos earum concresecunt, aut ab ipsis emanant, tales extant gummi, atque lacrymæ: sicuti etiam non erit inconsonum rationi, modum in medium afferre, quo succi ab herbis, & fructibus exprimantur, & seruentur.

*De Plantarum delectu generatim, et earum partium enumeratione. Cap. II.*

**U**NTER Plantas Vniuersum exornantes illæ excellentiores, & præstantiores in vnaquaque specie censentur ab Aristotele lib. 2. de Plant. c. 1. *quæ semine perfecto, loco conuenienti, aqua moderata, & aere consimili producuntur: quæ si deficiant, imbecilliores euadunt.* Aerem, & locum maximam impartiri vim Plantis, adaperè narrauit Theophrastus lib. 2. de caus. Plant. c. 9. his verbis: *Loca sibi accommoda arbores queritant; quippe aliæ sitientes, adamant tractus humidos; aliæ hibernos cupiunt;*

piunt; alie soli expositos; alie opacis; & alie apertis gaudent; alie in totum palustribus; alie montuosis latantur. De his etiam verba fecit Mes. in Canon. ad quædā singularia descendens sic: Locus autem natalis, quia medicamentis simplicibus multis non modo promptam generationem, & felicem præstat, sed & propriam quamdam virtutem impertit, in medicamentorum delectu, maximi faciendus est; natura enim, ut Plato, locis quibusdam aliquas virtutes proprias impertit, quæ rebus in talibus genitis, & crescentibus communes faciat. & subdit: Plantæ humido excrementitio præditæ natura, in locis humidioribus deteriores, siccioribus verò præstantiores euadunt; sicciores contra in locis siccioribus peiores, meliores in humidioribus, sic Agaricus, Hermodactylus, Turpetum in humidioribus damnantur, & Thimelea, Cucumer agrestis, Colocynthis in siccioribus, & calidioribus mala sunt, & venenosa: Absinthium marinū maleficum, & Scammonium ex regione Scenitarum: quæ enim immoderatiùs calida sunt, in locis calidioribus peiores euadunt, in frigidis ad portionem. Ad hæc terræ, & per hanc plantis virtutem magnam impertit, & variam, non Sol tantum, sed aliorum quoque corporum celestium aspectus hunc locum, & illum aliter, atque aliter efficiens. Præterea, & plantæ nonnullæ ex alterius cuiusdā vicinia, vel contactu meliores, aut peiores fiunt. Sic Hermodactylis Scilla, aut Raphanus vicina uigorē addit, et Thymus Epithymo, & Quercus Polypodio, & Senæ Ruta: contra autē maligniora euadunt Scammonia Esule, aut Tithymallis propinqua, Polypodium lapidibus, & Epithymum Ozi mo. Hæc ille. Circa igitur electionem Simplicium semper est considerandus locus, quo genita sunt:

A 2 quod

quod etiam nos docuit Gal. varijs in libris, sed potissimum lib. 1. de Antid. cap. 13. dicens: *Omnes igitur Herbarij unanimes scripserunt, Iridem in Illyrio natam optimam esse, Petroselinum, quod in Macedonia, Opobalsamum in Iudea, Radicis dulcis succus, agrestis Napi semen, & Scordium è Creta; quamquam in alijs Regionibus minimè contemnendum; eodem modo & in reliquis, quorum dotes è Regionibus acceptas, cum primum de unoquoque loquemur, non omitemus.* Magni fecit quoque locorum naturam Dioscorides, lib. 1. de Medicinali materia: *Nam quæ in campestribus, riguis, & opacis, ceterisq. locis à vento silentibus enascuntur, plerumque degenerant, & minus viribus valent.* Sed non satis est indagare loca, quibus plantæ producuntur: sed operæ pretium erit summo cum studio Pharmacopœos scrutari, & considerare cuiuscumque sapes, odores, colores, substantiam, magnitudinem, & figuram, quæ omnia doctissimè, & diligentissimè reliquit scripta Dioscor. ut meliores, & excellentiores eligere possint; quæ etiā animaduertit Rabbi Moyses Par. 2 r. sic: *Melior medicina cuiuscumque generis est illa, quæ non est contracta, neque tenuis, sicut peior existit illa, quæ crassior, & tenuior quantitate temperata; & omnis medicina, quæ habet saporem, & odorem sui generis, melior.* Quæ omnia didicit à Galeno lib. 1. de Ant. cap. 3. & 13. *Sunt omnes plantæ, si vetustæ fuerint, fugiendæ; unumquodque autem proprium vigorem ijs, qui ea sæpe viderunt, indicat, tum ex odore, tum gustu, aliquando ex colore, & secundum crassitiem.* Hæc lib. 1. de Comp. Medic. per loc. c. 2. Sed potissimum hæc seruanda veniunt in peregrinis

nis

nis plantis, quæ ab Indis, aut Syris ad nos deferuntur. At circa illas, quæ apud nos nascuntur, in primis curam impendere oportet, narrante Dioscor. lib. 1. in limine, ut suis temporibus singula demetantur, & recondantur; intempestivè enim decerpta conditave, aut nullo, aut etiamido munere funguntur; serena enim celi constitutione demetenda sunt: magni siquidem refert inter colligendum, si vel squalores, vel imbres infesti sunt. Ab his enim omnibus vires Simplicium aut abolentur, aut ignauæ redduntur, quam obrem proportio illa immutatur, quæ in compositis à Medicis desideratur. At quis Seplasiariorum hæc servat? aut nullus, aut admodum pauci.

Negligentia  
Seplasiario-  
rum.

Plantarum partes variæ, & multiformes existunt, illas animalium similitudine quadam æmulantes, quas ob oculos nobis ponit Theophrast. lib. 1. de Hist. anim. c. 2. his verbis: Partes primæ, communesque plurimarum, Radix, Caulis, Ramus, Surculus, hæc constant ex alijs, quæ Cortex, Lignum, & Matrix, ubi scilicet esse possunt: quæ quidem particulis constant similibus, hæc Nervus, Vena, & Caro, similitudine enim quadam nomina partium consortiuntur. Quædam autem, quasi annuæ partes accedunt, ut Fructus, Folium, Flos, & Pediculus, id est, quo folium dependet, ubi videlicet esse potest: super omnia autem Semen, & Fructus. Quædam succum habent, sicut Arist. de plant. cap. 2. & Theoph. c. 3. ut Refina, Gummi, Myrrha, Thus, & Thymiana. Non est autem à nobis de his omnibus agendum, sed solum de Radicibus, Floribus, Folijs, Fructibus, & Ligno. at unum cum folijs confundere liceat nobis & herbas; etiam si & floribus, & seminibus, & folijs sint insignitæ  
tempore

tempore opportuno. Non ignorat enim Theoph. cap. 5. *Herbas appellari illud, quod à radice foliatum sine caudice prouenit, semeng. caule fert, ut Olera.* Nec silentio prætermittendi liquores, qui circa stipitē, & ramos concrefcunt, aut ab ipsis, vt guttulæ emanantes stillant: sicuti etiam narrando aggrediēdus est modus, quo succi à folijs, & ab herbis eliciantur, & feruentur; quoniam hi in Pharmaceutica arte magnam partem tenent.

*De Radicibus eligendis, et seruandis.*

*Cap. III.*

**R**ADIX inter omnes partes, quæ totam plantam constituunt, præcipua esse ab Aristot. lib. de Plant. cap. 2. existimatur; cum sit vitæ primordium, & alimentum à terra capillamentis suctum omnibus ceteris partibus cōmunicet, quod respiciēs Theophr. cap. 2. pronunciauit, illas animalium ori proportio ne quadam respondere. Tempus colligendi has reliquit scriptum Dioscor. lib. 1. in limine, sic: *Radicēs, liquamenta, cortices ve, ut recondantur, eximere conuenit, cum herbæ suis folijs exuuntur.* Hoc autem vt plurimum euenit in Autumno incipiente Hieme: tali enim anni tempore multæ plantarum radices magnas habent vires, teste Gal. lib. 2. de Alim. fac. c. 61. ineunte aut Vere, cum semen producere intendūt, caulem proferunt, & luxuriari incipiunt, euadunt insuauiiores, & flaccidiiores, etiamsi germinis cuspidem